



1. Gerlachij Stephij diff.
de persona Servatoris Christi
Tubingae 1577.
2. Gesnerij Salamis diff. de
quadruplici Homini con-
sideratione, Witteb. 1576.
3. ———— diff. de
Acolis triumphante in
Coelis. Witteberga 1575.
4. ———— diff. tres de Turra.
Witteb. 1575.
5. ———— diff. de commu-
nicatione idiomatum reali
Witteberga 1576.



THESES

DE HOMINIS
CREATIONE, INTE-
GRITATE, CORRUP-
TIO-
ne & peccatis,

De quibus auspice Christo
PRAESIDE DANIELE HOF-
MANNO TH. D. ET PROFESSORE
pro gradu Doctoris Theologi
impetrando

Respondebit

M. HENRICVS PAPÆBURGÆ-
RVS GENERALIS SUPERINTENDENS DV-
catus inter Disterum & Lanum & Senior capituli
Wunsdorpiensis.

Mense Maio.



HELMAESTADII
Excudebant hæredes Iacobi Lucij, Anno
M. D. XCVIII.



THESES

DE HOMINIS
CREATIONE, INTE-
GRITATE, CORRUPTIO-

ne & peccatis,

De quibus auspice Christo

PRÆSIDIO DANIELIS HOF-

MANNI TH. D. ET PROFESSORE

pro gradu Doctoris Theologi

impetando

Respondit

M. HENRICVS PAPPENBERG

VS GENERALIS SUPERINTENDENS DV-

centur inter Districtum & Lannum & Senior capituli

Wunstorfensis.

Class. M. 10.




HELMESTADII

Excudbat hæreticus Jacobi Lucij, Anno

M. D. XCIII.



... quod est in ...
... personarum ...
... habitatio.



DISPVATIO
DE HOMINIS CRE-
ATIONE, INTEGRITATE,
CORRVPTIONE ET
peccatis.

THESIS I.

ADEO ad hominem transituri, hunc ab illo creatum esse initio consideramus, in quo vt in omnibus operibus DEI ad extra totius Trinitatis actio considera- tur. Triū personarum mentionem Gen. 1. latentem explicat Psal. 33. ver. 6. Ver- bo Domini coeli facti sunt & spiritu oris eius omnis e- xercitus eorum. Et de filio *λογω* Ioh. 1. ver. 3. dicitur: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Col. 1. ver. 16. Per filium condita sunt omnia &c. ver. 17. ille est ante omnia, & omnia per i- psum subsistunt. De Spiritu sancto Iobi 26. ver. 13. Spi- ritu suo coelos ornauit. cap. 33. ver. 4. Spiritus Domini fecit me & spiraculum omnipotentis viuificauit me.

2. Ordinem admirandum esse inter personas Dei- tatis multis innuitur, vt quod Christus iurans inquit: filium non posse à seipso operari nisi viderit patrem o- perantem Ioh. 5. ver. 19. quod omnia dicuntur facta per *λογον*. Ioh. 1. ver. 3. Et quæ ad Trinitatem multi referunt: Ex ipso per ipsum & in ipso sunt omnia. Rom. 11. ver. 36. Ne quis tamen inæqualitatem personarum colli-

geret, filius dicitur patre operante similiter operari. Ioh. 5. ver. 19. Et cum Deus omnia fecerit propter se, Prouerb. 16. ver. 6. ne inæqualis gloria personis deberi putetur, Paulus ad Rom. 11. distinctis phrasibus subiecit: ipsi gloria in secula.

3. In ordinis autem personarum Deitatis consideratione hoc memorabile est, quod filius ostendatur hominibus, ut in quem Pater perpetuò respexerit, quemque homines semper voluerit intueri, quemadmodum egregius locus est Prouerb. 8. vbi Sapientia Dei æterna hoc est, λόγος æternus inquit ver. 22. Iehoua possedit me principio viæ suæ ante opera sua iam inde ver. 23. A seculo principatum habui, à principio ante terram &c. cum faceret omnia &c. ver. 30. Eram apud eum alumnus (artifex) & eram in lætitijs quotidie, & ludo coram illo omni tempore. ver. 31. Ludo in orbe terræ eius & delitiæ meæ versari cum filiis hominum.

4. Ex his liquet filium ante secula (per illum enim & secula fecit. Heb. 1. ver. 2.) magna cum delectatione fuisse præordinatum ad conuersationem cum hominibus, quibus princeps esset, neque dubium est arborem vitæ in paradyso positum. Gen. 2. ver. 9. fuisse symbolum eius, in quo ad vitam æternam homo perueniat: In ipso enim vita erat & vita erat lux hominum. Ioh. 1. ver. 4.

5. Rectè etiam creditur, quod primi parentes, si in integritate perstitissent, non nisi in filio saluati essent, cum ipse λόγος dicat: Ego ego Iehoua & non est absque me Saluator. Es. 43. ver. 10. Idem se primum & nouissimum appellat. Esa. 44. ver. 6.

6. Quod tamen filius incarnandus fuisset, etsi homo non lapsus fuisset, ut in scholis quidam affirmarunt & Andreas Osiander defendere conatus fuit, hoc citra

auto-

autoritatem verbi Dei dicitur, nobisq; non licet ultra id quod scriptum est sapere 1. Cor. 4. ver. 6.

7. Hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum non merito sui, quod non existentis nullum esse potuit, sed immensæ gratiæ DEI pignus accepisse manifestum est. Quis prior dedit ei & reddetur ei. Iob. 41. ver. 2. Rom. 11. ver. 35. Bonus Dominus vniuersis, misericordia eius super omnia opera eius. Psal. 145. ver. 9.

8. Gratuitum ergo Dei donum agnoscimus ipsam imaginem Dei in primo homine, sed negamus donum supernaturale quod Pontificij iactitant & Bellarminus defendere conatur lib. de gratia primi hominis.

9. Paratum autem hoc putat *αἴτιμα*, vt amissa imagine Dei, homo fingatur retinuisse naturalia integra, ex quibus tanquam fonte deducant, quæ in peccati originalis extenuatione, & liberi arbitrij amplificatione suæ ad lucrum captandum compositæ religioni præparata cupiant.

10. Disertè Dominus dixit: Faciamus hominem ad imaginem nostrâ. Gen. 1. ver. 26. Ergo naturam quæ imaginem Dei referat, non tantum sine imagine creare constituit, quæ demum supernaturali dono accederet: sic naturam amissa imagine DEI corruptam Psal. 14. ver. 1. renouari oportet, vt restituatur homo conditus ad iustitiam & sanctitatem veram. Eph. 4. ver. 24.

11. Neq; solum legem homini in creatione insitam esse naturæ negat istud postulatum, & supernaturale aliquid constituit, sed etiam naturam moraliter malam creatam esse disertè affingit.

12. Sic enim in dicto lib. cap. 5. Bellarminus: Rectitudo primi hominis supernaturale donum fuit, vt adhibeatur remedium morbo & languori naturæ humanæ

qui ex conditione materiæ oriebatur & definitur fuisse pugna carnis aduersus spiritum.

13. Hæc sententia in blasphemiam definit, quia Deum constituit autorem mali & peccati, qui etiam materiam fecit, cui vitium aspersum fuerit, & cum spiritu iunxit non prius mundatum & indigum remedij tantum palliatuè non tollendo sed tollerando morbum curarit.

14. Atrocitas erroris simili quo Bellarminus utitur aggrauescit: Remoto, inquit, originalis iustitiæ dono languor ille se prodidit, & factum est vulnus peccati, quod languor naturæ esse potuisset. Lucæ autem 10. latroni, id est, diabolo non solum detractio veræ iustitiæ, sed etiam vulnerum inflictiō tribuitur, quam manibus Dei, dum materiam crearet, ascribere, etsi propter beneficium indumenti morbum potius quàm vulnus appelles, omnipotentia & bonitate eius indignum est.

15. Vidit Dominus quæ fecerat, inquit Moses, & ecce erant omnia (non quædam tantum) valde bona. Gen. 1. ver. 31. Qui prius ver. 27. contra creationem nudæ materiæ, cui propter morbum opus fuisset remedio & propter vitium tegumento, dixerat; Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum. ver. 27.

16. Obstat etiam Scholasticis Magistri sententia lib. 2. dist. 34. Ante peccatum non erat aliquid mali vnde oriretur.

17. Contra pudendum igitur commentum Pontificium asserimus, quod Lutherus in cap. 3. Gen. fol. 47. docuit: Scholastici disputant, quod iustitia originalis non fuerit connaturalis &c. Quin statuamus iustitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, sepa-

separatum à natura hominis, sed fuisse verè naturalem, ita vt natura Adæ esset : diligere Deum , credere Deo, agnoscere Deum &c. Hæc tam naturalia fuere Adamo, quàm naturale est, quod oculi lumen recipiunt.

18. Etsi verò Lutherus mitiorem opinionem scholasticam censuit, qua naturam virgini, & imaginem Dei coronæ comparabant , vnde de vitio apparente post demtam coronam nullum iudicium relinquebatur, his tamen grauiſſimis verbis vtitur : Quare fugiamus deliria ista, tanquam veras pestes & corruptelam sacrarum literarum. Multo igitur asperius de sententia Bellarmi- ni vitium creationis præsupponente, loquendum est.

19. Mira etiam vanitas est istorum hominum, qui naturalia hominis post amissam imaginem Dei integra somniant, quæ in se integra nunquam facta, & detecta magis probrosa extitisse fatentur.

20. Lutherus verò super cap. 2. Gen. fol. 31 commemorat quomodo initio Euangelici sui ministerij à fanatico spiritu sit diuexatus, qui Adamo integro legem fuisse positam negauerit ex eo, quod iusto non sit lex posita 1. Tim. 1. ver. 9. vbi Apostolus perspicuè sententiam exponit de condemnationis fine, quæ certè iusto non infligitur.

21. Etiam istud figmentum in abolitionem gratiæ desijt quoniam fanaticus illud intendit, vt negaretur peccatum originale, quia prauaricatus non fuisset Adam, si legem non habuisset, cui tamen præceptum datum esse Gen. 2. ver. 16. & 17. expressè dicitur.

22. Verum alia quæstio in gratiam Dei insurgit, quomodo gratiæ Dei potuerit esse locus, homine integro creato & lege promittente integrè obediendi vitam æternam. Gen. 1. ver. 27. & 31. Leuit. 18. ver. 5. Luc. 10. ver. 28. Gal. 3. ver. 12. 23. Fuc-

23. Fuerunt, qui promissionem vitæ æternæ legi derogarint, vt soli gratiæ eandem assererent, sed non est negandum quod scriptura perspicuè tradit, etsi nobis videatur ἀπαραγοῖ, & quidem potiori doctrinæ repugnare, quin misericordiam & iustitiam simul in D E O credamus, etsi temperamentum admirandum, in quo vna alteri non detrahat nobis sit explicatu impossibile.

24. Expeditum tamen est, hominem primum integritatem suam gratis Dei gratia accepisse, neque integritatem illam sine grata agnitione & celebratione illius gratuiti beneficij constare potuisse. Omnes enim homines & angelos alloquitur spiritus Dei his verbis: Quis prior dedit ei & reddetur ei. Iobi 41. ver. 2. Et nullum hominem eximit Paulus ne quidem primum integritatem inquit: Quid habes quod non accepisti? quod si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. Cor. 4. ver. 7.

25. Obstrictus etiam fuit hac lege Adamus innocens: Qui gloriatur in Domino gloriatur. Iere. 9. ver. 23. 1. Cor. 1. ver. 31. Hoc enim non facto veritatem deseruisset, & gloriando in semetipso peccatum commisisset, quod imaginem Dei ad quam homo conditus fuerit violare testatur Apostolus Eph. 4. ver. 25.

26. Partem imaginis Dei supra Lutherus fecit fiduciam in Deum: quoniam voluntas Dei immota fuit, vt homo soli creatori fideret: Non habebis Deos alienos coram me. Exod. 20. ver. 3. Et Christus seruus Dei iustus cuius notitia iustificamur. Esa. 53. ver. 11. à se alienum non duxit quod scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Matth. 4. v. 10. Deut. 6. v. 13.

27. Exemptum esse à lege Dei, ne obediatur illi, tanti priuilegij est, vt nulli hominum conferatur, ne quidem

dem Christo in gloria secundum humanitatem subie-
cto Deo 1. Cor. 15. ver. 3. 2. Cor. 11. ver. 31. & 1. Corin. 15.
ver. 28. Ac licet Deus non sit subiectus legi, quam ho-
mini posuit sed Dominus eius, quia tamen legis apex
est æterna Dei sapientia, hæcenus ne quidem Deus su-
pra legem, sed ipsa est veritas, iustitia, sanctitas, neque
sic præter sapientiam suam quicquam facit.

28. Sed ad mirandum illud redeamus, quod lex
obedientiam perfectam postulans, eamq; vitã æternã
coronans, non repugnet gratiæ Dei, neq; eam diluen-
do puram neget. Quod enim coniunctim habitent, Do-
minus testatur. Exod. 20. ver. 5. inquit: Ego Iehoua
Deus tuus &c. ver. 6. faciens misericordiam in millibus
diligentibus me & custodientibus præcepta mea.

29. Etsi etiam negare non debemus vitam æternam
esse promissam integrè legi obedientibus, religio ta-
men est, illam obedientiam dicere meritoriam vitæ æ-
ternæ, quia Dominus nos aliter docuit Luc. 17. ver. 9.
Num herus gratiam habet, seruo illi, quia fecit quæ illi
præcepta fuerant? Non puto ver. 10. Ita & vos cum fe-
ceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui
inutiles sumus: Nam quod debuimus facere, fecimus.

30. Quæ igitur acceperat homo, per gratiam obti-
nerat, ne obediendo gratiam tolleret, sed prædicaret,
atq; hic nobis rursus disceptatio est, cum pontificijs:
Num homo integer ad obediendum & perseverandum
opus habuerit speciali auxilio gratiæ, ad quod nos af-
firmatiuè illi negatiuè respondent.

31. Creauerat Deus omnia vt faceret. Gen. 2. ver. 3.
quod sanè de gratia conseruationis & generali auxilio
intelligitur, sed specialem non excludit, maximè cum
speciale sit beneficium, quod homini promisit D E V S
B vitam

vitam æternam, ad quam vt per integram obedientiam contēderet homo, gratia peculiari sanctitatis eum donauit, neq; ex alia quàm speciali stabilitatis donum expectari voluit.

32. Iobi 4. ver. 18. Ecce in seruis suis non credet, & in angelis suis posuit lumen. A DEO igitur ponenda fuit stabilitas, quæ si generali auxilio posita fuisset, neque angeli neq; homines lapsi fuissent.

33. Negamus etiam Augustini hanc esse sententiam: Non eguisse Adamum vlla gratia, præter eam quæ illi semper aderat, quæq; quomodo erat in eius potestate, vt putat Bellarminus lib. de gratia primi hominis cap. 4.

34. Ambrosius in historia status integritatis, quærens specialis gratiæ testimonium, obseruauit dictum. Gen. 2. ver. 14. Tulit Iehouah Adam &c. de quo inquit: Apprehendit ergo eum virtus Dei inspirans processus & incrementa virtutis, deniq; in paradyso eum collocauit, vt scias apprehensum quasi afflatu diuino esse virtute. lib. de paradyso cap. 4.

35. Sic erat primus homo institutus, inquit August. lib. 14. C. D. cap. 27. vt si de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum angelū vinceret, si autem creatorem & adiutorem Deum superbè sibi placendo desereret, vinceretur. A tali superbia quomodo liberabitur, qui credit gratiam Dei in sua esse potestate, vt Bellarminus?

36. Neq; acutum se probat Iesuita, quod testimonia citans, quid sibi ex illis obstet non viderit. Quæ enim natura integra nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruare potuit. In Epistola 106. Quodque iustitiæ retinendæ non sufficiebat arbitrium. In Enchiridio. cap. 106. quæ etiam sine adiutorio in bona volun-

voluntate non poterat permanere si vellet, in lib. de corrept. & gratia cap. 11. ei non competit hæc arrogantia, quod in sua potestate habeat adiutorium.

37. Quia igitur lex non solum integram obedientiam, sed etiam permansionem in omnibus postulauit. Deut. 27. ver. 26. Gal. 3. ver. 10. & integritatem primus homo per gratiam Dei accepit, in eaq; sine gratia perstare non potuit, utiq; legis ratio sibi sua integrè vendicans secundum iustitiam Dei, non partem aliquam, sed totum etiam gratiæ Dei reliquit, secundum misericordiam DEI, cum qua iustitia sine pugna commoratur.

38. Ne verò curiositate intricemus explicata, memores simus verborum Moysi Deut. 29. ver. 29. Abscondita Ichouæ Dei nostri, & reuelata nostra sunt & filiorum nostrorum vsque in seculum, vt faciamus omnia verba legis huius.

39. Fide autem requisita in Adamo, quæ in gratiam Dei recumbat, quæritur num in filium vt vitæ æternæ largitorem respicere debuerit?

40. Etsi verò incarnationis filij vsum ante peccatum ignoramus & opus saluationis Trinitati commune scimus, tamen etiam integro homini filium Dei peculiari ordinatione propositum fuisse, in quem respiciens fide, Patri & spiritui sancto simul communicaret, docemur graui testimonio Prouerb. 8. Vbi sapientia Dei æterna, id est, Dei filius, quem Ichoua possedit in principio viæ suæ ante opera sua. ver. 22. inquit ver. 23. se à seculo principatum habuisse seu ordinatum fuisse ducem, non Dei sed hominum, cum dicat ver. 31. Delicias suas esse cum filiis hominum.

41. Iucunda etiam est consideratio, quod se filium

Dei dilectum appellat, qui iuserit coram æterno patre omnitempore ver. 30. Ac sicut D. Lutherus iusum illum refert ad patefactionem, quia sese hominibus ostendens Patrem ostenderit & Spiritum sanctum communicauit, quod officium suum initio cap. 8. sapientia eximiè prædicat, itemque Sacramenta accommodat, quibus se in hominum animos atq; oculos ingesserit, vt se præsentem intelligerent, ita cum integro homini arbor vitæ data fuerit, piè cogitatur illam extitisse integris parētibus symbolum filij Dei, à quo vitam æternam peterent & expectarent, quemadmodum sapientia ver. 35. inquit: Qui inuenit me inuenit vitam & haurit voluptatem à Iehoua: vnde petita sunt quæ Ioh. 1. scribuntur: In principio erat λόγος &c. omnia per ipsum facta sunt &c. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.

42. Quid multis? Credimus Filium Dei æqualem patri & spiritui sancto essentia & essentialibus proprietatibus etiam integris parentibus à gratia Dei fide & ope pendentibus propositum fuisse singulari ordinatione diuina caput, vt cum sit primus & nouissimus Es. 44. ver. 6. cap. 43. ver. 11. primogenitus omnis creaturæ per quem & in quem omnia facta fuerint. Col. 1. ver. 15. 16. in omnibus primas teneat. ver. 18. Neque tamen fidem innocentium parentum in Christum incarnandum reiectam fuisse vt Osiander cum quibusdam Scholasticis docuit, *Vllibi* in scriptura legimus, multò minus in passurum & moriturum remissi fuerint, qui cum peccata non haberent nec satisfactione nec remissione neque huius gratiæ saluatore indigebant.

43. Ad hoc discrimen respexit Aug. lib. de corrept. & gratia cap. 11. scribens de Adamo iusto: Ille non opus habe-

habebat eo adiutorio, quod implorant isti cum dicunt:
Video aliam legem in membris meis.

44. Ex quo loco ineptè colligit Bellarminus integrum hominem non indignuisse gratia speciali quasi vnius status speciale de altero negatum simul remoueat speciale proprium alterius.

45. De lapsu hominis & consecuta corruptione sic docemus, quod Adam transgressus legem Domini, vitam DE I amiserit & morte mortuus sit, id est, corruptus & abominabilis redditus sit in omnibus viribus, vt sint impotentes ad spiritualia & præterea inimicæ aduersus DEVM, quodque Adam tales posteros procreauit.

46. Quamuis autem illustrem gratiam Dei in statu integritatis eminus vix contueri licuerit, quia verbum Dei parcius eius fulgorem ostendit, hic tamen non dubitamus pronunciare, gratiæ Dei nihil per peccatum decessisse, quin etiam lege augente peccatum, abundet gratia super illud. Rom. 5. ver. 20. Quoniam in Christo filio Dei dilecto. Eph. 1. ver. 6. habemus redemptionem per sanguinem eius in remissionem peccatorum ex diuite eius gratia. ver. 7. vt triumphet misericordia aduersus damnationem Iacobi. 2. ver. 13.

47. Quandoquidem igitur Deus conclusit omnes in inobedientiam vt omnium misereatur. Rom. 11. ver. 32. Et scriptura conclusit omnia (id est, vniuersa hominis) sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Gal. 3. ver. 22. Ideo autem ex fide per gratiam vt firma sit promissio omni semini. Rom. 4. ver. 16. Et Deus commendat charitatem suam erga nos, quod cum adhuc essemus peccatores Christus pro nobis mortuus sit Rom. 5. ver. 8. Ac si vnus pro omnibus mortuus

fit constat omnes fuisse mortuos. 2. Cor. 5. ver. 15. manifestum est gloriam Christi & fidem Christianam euacuari, si peccatum ea atrocitate, qua in scriptura proponitur, non censeatur.

48. Nequaquam igitur extenuamus sententiam Domini. Gen. 2. ver. 7. Quocunq; die comederis de arbore hac morte morieris. Neque euentum grauitati comminationis respondere negamus, quin constanter docemus primos parentes per lapsum in mortem spirituales precipitatos fuisse, eamq; deriuasse in posteros.

49. Sedes explicationis de primo parente & liberis eius est cap. 5. ad Rom. Estque peccatum originis reatus propter lapsum Adæ, *ἡ ἁμαρτία ἐκ τῆς ἀρχῆς*. Rom. 5. ver. 16. in quo omnes peccauerunt ver. 12. Rom. 3. ver. 23. Simul autem est carentia gloriæ Dei, id est, amissio imaginis Dei. Ibidem. Et prauitas naturæ à prima conceptione Psal. 51. ver. 7. vt omne figmentum cordis humani tantummodò malum sit omni die. Gen. 6. ver. 5. à pueritia Gen. 8. ver. 21. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum non est vsq; ad vnum. Psal. 14. ver. 1. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est vsq; ad vnum. Ps. 53. ver. 4. vt omnes in Adam moriantur. 1. Cor. 15. ver. 22. mortui in peccatis. Eph. 2. ver. 5. Col. 2. ver. 13. Homo natus de muliere, breuis est diebus & satur iræ. Iob. 14. ver. 1. vt simus omnes natura filij iræ. Eph. 2. ver. 5.

50. Hanc doctrinam vt custodiamus, reprobamus omnia pugnancia, ex quibus est quod priuatione imaginis Dei Bellarminus fingit vulnus naturæ ex creationis quasi reliquijs apparuisse, cum non per DEVM Psal. 5. ver. 5. Sed per vnum hominem peccatum introierit in
mun-

mundum, & per peccatum mors. Rom. 5. ver. 12. Neq;
gratiæ Dei erga nos homines suum decus constaret, si
in primo statim opere defecisset.

51. Reijcimus quod omne peccatum sit volunta-
rium, quod in fraudem gratiæ Dei excogitatum à Pe-
lagio, licet multos exercuerit ex patribus, rectè tamen
sentientibus non probatur.

52. Etsi quoq; peccatum Originis, vt in lumbis A-
dæ omnes fuimus, ita voluntati in isto vindicatur, in-
deq; Pontificij videantur applicationi Pelagianæ ob-
stere tamen cum scriptura in voluntate specificam dif-
ferentiam non ponat, nec instantiæ declinari omnes
possint: sintque non solum peccata ignorantia sed i-
psum figmentum cordis humani malum sit, antequam
menti sese associet voluntas, repudiamus vniuersalem,
quod omne peccatum sit voluntarium.

53. Lombardus lib. 2. dist. 20. Scholasticos doctores
improbat, qui dixerint, peccatum originale esse rea-
tum pœnæ pro peccato primi hominis, & debitum vel
obnoxitatem, qua addicti & obnoxij sumus pœnæ cor-
porali & æternæ. Et rectè censet Magister isto conces-
so, peccatum originis, nec culpam nec pœnam fore, cum
obnoxitas ad pœnam non sit pœna, & pœna declinans
culpam non sit culpa.

54. Sixtus Senensis lib. 6. Bibl. cap. 236. Theodore-
ti Chrysofomi & aliorum similes sententias recitat,
qui cum Pelagianismum in pluribus sapiant cum iudi-
cio legendi sunt.

55. Ex Scholasticis lacunis Iacobus Faber Stapulen-
sis, vt alios errores, ita & hunc hausit: Omnes in Ada-
mo peccasse, non esse quod ipsi aliquid peccarint, sed
Adam vniuersalis obligationis admisisse noxam. Beda
Nata-

Natalis approbante Sorbona anno 1525. hoc Pelagianum iudicat, quia importet, quod culpam ex origine nullus habuerit. Quod notandum est ut testimonium pontificiorum domesticū, ipsos in sinu fouisse hæresin. 56. Caietanus omnium aduersariorum Lutheri maximè armatus, in 1. secundæ Thoma quæst. 8. art. 3. in explicando dicto Rom. 5. ver. 12. In quo omnes peccarunt satis esse putat, si intelligatur omnes incurrisse necessitatem contrahendi peccatum originis, vel omnes esse peccato originis obnoxios. Hanc expositionem etiam Greg. de Valentia in 1. secundæ dist. 6. quæst. 11. puncto. 2. repudiat, quod neq; sit solida, neq; satis tuta. si verum dicere voluisset, Pelagianismum appellare debuisset, ut Sorbona in Fabro fecit.

57. Memorabile etiam est Erasmus Roterodamum tandem à Bellarmino, ut & ab alijs declarari Pelagianum lib. 4. de amiss. gratiæ & lib. arb. cap. 2. Vbi tamen fallit, quod omnes Catholici (scilicet pontificij) propagationem peccati Originis non imitationem tantum tradiderunt, ut vel præmissa exempla redarguunt.

58. In eo autem probè facit Bellarminus, quod commentaria in epistolas Pauli, quæ falso tribuuntur Hieronymo, commendari noluit, cum vel Pelagij vel alicuius Pelagiani esse extra controuersiam statuatur.

59. Etsi verò sic simulant illi odium Pelagianismi: his tamen historicis obseruationibus demonstratur, in sinu Papæ satis crassè hæresin illam delituisse, cum contra fidelem monitorem Lutherum fremeret clerus ille.

60. Neque hodiè extirpata est radix Pelagiana, sed cum Tridentinum concilium, quid sit peccatum Originis, non definierit, vagæ sunt Iesuiticæ disputationes, omnes

omnes autem sibi proponunt signum contradictionis
veritatem Lutheri.

61. Gregorius de Valentia in 1. secundæ disput. 6.
quæst. 13. puncto 1. doctrinam hanc appellat hæresin:
Peccatum Originis esse hæreditariam quandam natu-
ræ nostræ corruptionem & prauitatem, quæ nos iræ
diuinæ & æternæ damnationis reos faciat, & præterea
origo sit reliquorum omnium flagitiorum, atque adeo
profert fructus illos, quos apostolus in epistola ad
Gal. 5. ver. 19. 20. appellat opera carnis. Quam prauita-
tem & corruptionem minimè doceamus aliqua sub-
stantia siue substantiali forma contineri, sed consistere
in defectu integræ iustitiæ, qualem habuit initio Ada-
mus, & qualis nunquam (plenè) restituitur in hac vita,
ac proinde in hominibus quantumcunque iustis hære-
re semper hoc peccatum Originale, quamdiu viuunt
hanc vitam.

62. Hæc igitur supra thesi 49. confirmata, quia in-
festant pontificij, palam fit, eos à veritate alienos esse
verùm nos illa omnia, quæ commemorata sunt, verbo
Dei, auxiliante eo, defendemus.

63. Gregorius de Valentia dicto puncto 1. Duran-
dum minus cautè fuisse locutum ait, cum in lib. 2. dist.
30. dixit. Peccatum actuale magis propriè esse pecca-
tum quàm Originale, ita vt Originale ad actuale rela-
tum impropriè habeat rationem culpæ. Nos autem
non videmus aliud in papatu doceri quàm hoc, quam-
diu negatur, quod peccatum sit voluntarium. Et si tan-
tum decedit rationi peccati, quantum deest volunta-
rio indeque perfectioribus & imperfectioribus peccatis
vocabulum peccati vniuocè non conuenit, vt Bellar-
minus lib. 1. de am. gratiæ & statu peccati cap. 12. ista

C

trahit,

tradit, certè cum peccatum Originis qualitercunque à voluntate Adami suspendatur, opinione pontificia minus sit, quàm voluntarium propriè acceptum, eodem recidet sententia Iesuitæ cum Durando.

64. Voluntatem hominis in peccato suo loco ceteri non negamus, sed naturam peccati in genere inde suspendere falsum ducimus, quia nullibi scriptura hoc dicat & thema confictum sit à Pelagianis, in fraudem veræ naturæ, quam scriptura *αισθησις* vocat.

65. Pelagianum istud præsuppositum, à peccatis eximens vitia mentis varia, quæ sunt *αισθησις*, antequam voluntas ipsis communicet, nec non peccati Originalis iniquitatem extenuans, hoc est, paradoxorum matrem, ideoque & ipsam talem, Bellarminus ad discernenda mortalia & venialia peccata adhibet, eo modo qui thesi 64. traditus est.

66. Duce autem verbo D E I, quod diuinum iudicium Philosophico accuratius de peccato profert, docendum est, maledici, ideoq; morti adiudicari omnem qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro legis. Deut. 27. ver. 26. Gal. 3. ver. 10. Nec exceptioni huic vnicae (nisi fiat remissio propter Christum) alteram super induxit scriptura.

67. Bellarminus negat peccata venialia sua natura esse mortalia, statuitq; sua natura venialia, itaq; Legem & Euangelium simul corrumpit. Lex enim omni peccato mortem denunciat: Euangelium autem veniam diuinam non nisi ex Christo promittit.

68. Peccatum veniale inquit Iesuita, non tam est contra caritatem quàm præter caritatem: dicto lib. cap. 2: Etsi vero tale quid in peccato aliquo seorsim ostenderetur, quod scilicet esset præter caritatem, non
tamen

tamen negari posset, vel ista sola ratione violari legem, cuius impletio cum sit caritas Rom. 12. ver. 10. quomodo illæsa impletione legis tradetur. Ipsa certè discessio à lege *ad quædam* & Contra legem est, quia non permanens in omnibus legis, transgressor legis est. Deut. 27.

69. Ex Tridentini concilij decretis Bellarminus cap. 10. colligit: venialia peccata etiam esse in impijs. Non autem hoc opus esset, cum non renati (in quibus venialia ponunt) impij sint, sed quia ita placuit Iesuitæ ratiocinari, ne scilicet priuatur concilium id debito honore, vicissim iure concludimus: Concilium istud impijs veniam peccatorum extra Christum, id est, contra legem & Euangelium iniquissimè largiri.

70. Nostri præceptores etsi distinctionem mortaliū & venialium peccatorum vellicare & reformare potuissent, de sensu tamen magis solliciti fuerunt. Iudicamus autem rectè docere Melanchthonem, quod noluit quærere discrimen peccati mortalis & venialis in non renatis, quia omne quod non sit ex fide peccatum sit.

71. Rectè & hoc tradidit Dominus præceptor: Quamuis renati, in quibus est accensa cognitio Christi, vera inuocatio & incoata est obedientia, sunt iusti, placent DEO & habent spiritum sanctum, tamen adhuc in eis in hac vita manet ingens infirmitas videlicet caligo in mente de DEO & voluntatis & cordis praua inclinatio, & multi vitiosi affectus &c. & hæc mala in renatis sunt contra legem Dei vt Paulus testatur Rom. 7. Et quanta sit deformitas, quanta magnitudo horum malorum pij in veris doloribus aliquo modo agnoscunt. Sed quia persona accepta est, accensa agnitione Christi & fide in corde, & donata spiritu sancto, & ali-

quo modo infirmitatem agnoscit & deplorat, & expa-
vescit agnitione iræ DEI aduersus peccatum, petit
condonationem & repugnat primis incendijs, fiunt
huic personæ hæc mala venialia peccata id est, cōdona-
ta ita vt non excutiant Spiritum Sanctum & fidem, ac
maneat persona in gratia. Hæc verissima iudicamus.

72. Quod autem Iesuita inquit: Dominum Philip-
pum non agnoscere vlla peccata venialia nisi inuolun-
taria, hoc verum non est, cum voluntatis praua incli-
natio appelletur, & Paulus allegetur qui illā Rom. 7. de
perpetratione disertè exponit: Non quod volo hoc a-
go, sed quod odi hoc facio v. 15. videantur sequentia &
notetur quod sanctus ille peccatum in se habitans mala
perpetrare fateatur, quæ licet nolente interiore homi-
ne fiant, volūtatem tamen carnis non effugiunt omnia.

73. Vbi etiam Melanchthon definit prauos motus,
qui rationem ita præueniant aut rapiant, vt voluntarij
dici non possint, ibi sane voluit refutare thesin pontifi-
ciam: Quod non est voluntarium non est peccatum:
Sed in illo articulo non dixit verti omnia peccata ve-
nialia per totum.

74. Neq; definitione peccatorum contra conscien-
tiam quæ spiritum sanctum excutiant, omnem actum
voluntatis, sed regnantis & conscientiam opprimentis
atq; vastantis intelligit, quod malum in mentis & vo-
luntatis actu existens, sæpè præuenit poenitentia, quam
continuat, repetitq; renatus iuxta dictum: septies in
die cadit iustus & resurgit. Prouerb. 24. ver. 16.

75. Quamuis igitur grauius peccatum indicetur,
quod contra conscientiam fieri dicitur, semper tamen
prioribus addenda est hæc commonefactio D. Philippi
Venialia peccata vocantur in non renatis ipsum ma-
lum

lum originale, & actualia multa interiora pugnantia cum lege Dei, quibus tamen renati repugnant, & multa peccata ignorantiae & omissionis. Nec extenuamus hæc mala, ut Sententiarij finxerunt: veniale peccatum est quiddam præter legem DEI, non contra legem Dei. Hic error necessario taxandus est. Hactenus noster, & nos cum ipso facimus.

76. Omne peccatum veniale imperfectum peccatum vocat Bellarminus lib. dicto cap. II. quia omne imperfectè fit contra legem. Quia verò novit Scholasticos docere, quod peccata venialia cuiuscunq; tandem generis sint, non sint contra sed præter legem, limitat suam sententiam voce (materialiter) quale peccatum in cuius videlicet rationem non veniat *à propria*, unde formaliter censeatur, fictum est peccatum.

77. Omne peccatum, in quantum peccatum est, *à propria* est teste Apostolo. 1. Ioh. 3. ver. 4. Quisquis committit peccatum legem transgreditur. Nam peccatum est *à propria*. Sic igitur omne peccatum est perfectè peccatum, neq; isti perfectioni derogant gradus peccatorum, multò minus quod respectu atrocioris deesse videtur, veniam importat, cum quod non sit venia non indigeat, & quod peccatum est, non ex se veniam promat, sanguine IESU CHRISTI FILII DEI emundante (non à quibusdam tantum) sed ab omnibus peccatis. 1. Ioh. 1. ver. 7.

78. Quia igitur istæ Philosophationes Scholarum Christo & gratiæ Dei in Christo propositæ, derogant, eo zelo sunt reprehendendæ, quo pietas violationem Christi & gratiæ DEI execratur.

F I N I S.



HELMAESTADII
Typis Hæredum Iacobi Lucij,
ANNO

M. D. XCVIII.



99 A 6905

ULB Halle
002 824 817

3



5b_a





24



THESES

DE HOMINIS
CREATIONE, INTEGRITATE, CORRUP-
TIO-
ne & peccatis,

De quibus auspice Christo
PRAESIDE DANIELE HOF-
MANNO TH. D. ET PROFESSORE
pro gradu Doctoris Theologi
impetrando

Respondebit

*M. HENRICVS PAPÆBURGE-
RVS GENERALIS SVPERINTENDENS DV-
catus inter Disterum & Lanum & Senior capituli
VVunsdorpiensis,*

Mense Maio.



HELMAESTADII
Excudebant hæredes Iacobi Lucij, Anno
M. D. XCVIII.

